

ren wolle / sie aber dawider mit Gebet sich bemühen sol-  
len. vide etiam *Erasmus Francisci*, in dem höllischen Pro-  
theo Nürnberg 1708. 8. Tit. XXXIX. p. 944. seqq. *Osiandrum* l. c. p. 161, 184.

§. XI.

*Antonius le Grand* in noua suae Institut. Philosophiae  
editione P. III. C. V. §. VI. et VII. p. 186. seq. pro gene-  
rationis Angelorum possibilitate ita differit: *Uti Angeli cor-  
pora mouendi facultatem habent, ita illis vis deesse non vi-  
detur, ad quaedam corpora producenda aut generanda, quia  
cum generatio motu peragatur, et nihil aliud ad rei genera-  
tionem requiratur, quam partium secundum rei cuiusque  
constitutionem idonea et conueniens adaptatio, nulla apparet  
ratio, cur huiusmodi productio Angelis denegetur. Nam  
non in stirpis aut animalis alicuius generatione noua aliqua  
substantia procreatur, sed simul particulae insensibiles siue  
sensibiles, quae prius exstabant, nouam connexionem nanciscun-  
tur, et secundum magnitudinem, motum, quietem, figuram  
et situm, alio modo, quam prius, disponuntur. Ad modum  
aedium aut horologii, quae sine nouae substantiae produ-  
ctione effinguntur, et ex praecedentibus antea exstantibus  
adaptantur. Cum autem Angeli corpora mouendi, agitan-  
di et in ordinem redigendi vim habeant, potentia quoque  
generandi corpora est illis concedenda. Deinde cum Angeli  
rerum naturalium sint peritissimi, et quarum vires ac dispo-  
sitiones elapsis iam aliquot annorum millibus sunt contem-  
plati, norunt, quibus temporibus ac locis, quaque mensu-  
ra rerum qualitates temperanda sint, et quid ex talium par-  
ticularum admixtione oriatur et exsurgat. Praeterea vide-  
mus homines, qui Angelis multo sunt perfectione inferiores,  
varia producere, quae antea non exstabant, et quae nunquam  
citra eorum industriam prodissent, ut sunt arborum rami, per  
insitionem pullulantes, aquae distillatae, ciborum conditura*  
et